

PONTIFICIUM CONSILII  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXVI - N. 1

---

1994

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIU M  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

IUNIO 1994

Semestrale

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### LITTERAE APOSTOLICAE

Litterae apostolicae motu proprio datae quibus Pontificia Academia Scientiarum Socialium Constitutur . . . . .	3
Litterae apostolicae motu proprio datae quibus Pontificia Academia pro Vita constitutur . . . . .	6

### ALLOCUTIONES

Epistula Apostolica de Sacerdotali Ordinatione viris tantum reservanda . . . . .	9
Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos . . . . .	13
Allocutio Summi Pontificis, Audientiae Generalis occasione, die 2 martii habita . . . . .	18
Ex Allocutione Summi Pontificis ad Prelatos ac Officiales Paenitentiariae Apostolicae et ad Paenitentiarios Basilicarum Patriarchalium in Urbe coram admissos . . . . .	22
Ex Allocutione Summi Pontificis ad eos qui conventui «Partecipazione dei fedeli laici al Ministero Presbiterale» a Congregatione pro Clericis promoto, interfuerunt . . . . .	24

### ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae . . . . .	29
Relationes cum Iuris Canonici Studiosis . . . . .	30
Pontificii Consilii Publicationes . . . . .	31

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio VII) . . . . .	32
---	----

## EX ACTIS COMM. CARDINALITIAE PRO STUDIIS PRAEPARATORIIS CODIFICATIONIS ORIENTALIS

«Codificazione Canonica Orientale» (1926-1935). Verbali delle Adunanze . . . . .	75
Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .	148

# Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

## COETUS STUDII «DE INSTITUTIS PERFECTIONIS»

Sessio VII  
(dd. 29 sept. – 4 octob. 1969 habita)


Diebus 29 septembri – 4 octobris 1969, in Aula huius Pontificiae Commissionis convenerunt Consultores et Collaboratores Coetus studii «De Institutis perfectionis», sub directione Rev.mi P. Raimundi Bidagor S.J., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant Rev.mus Relator, Exc.mi tres et Rev.mi duodecim Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a Studiis Commissionis. Aberant, legitime impediti, Exc.mus unus, Rev.mi duo atque Ill.mus unus Consultores.

Antequam incipiat disceptatio de quaestionibus in hac sessione per tractandis, Rev.mus Secretarius quaerit si aliquis animadversiones faciendas habeat ad Relationem conclusivam de actis in praecedenti Coetus Sessione. Nulla fit animadversio, ideoque Relatio unanimiter approbatur.

### I. DE INSTITUTORUM REGIMINE

Iuxta deliberata in praecedenti sessione, mense martio habita, canones de hac materia quorum formulae definitivae in sessione non fuerunt approbatae a parva Subcommissione postea redacti sunt. Hoc factum est pluribus in adunationibus huius Subcommissionis a Rev.mo Secretario selectae, et ab eodem convocatae. Partem habuerunt in his laboribus, sub directione Rev.mi Secretari, Rev.mus Relator una cum Rev.mis tribus Consultoribus, quibus etiam visum est — propter difficultates obortas in formulatione horum canonum — ut quidam alii canones, etsi iam a toto Coetu approbati, aliquantulum emendarentur. Hae tamen mutationes substantiam canonum non tetigerunt.

Schema ergo quod a subcommissione proponitur circa regimen Institutorum perfectionis est sequens:



*Can. Primus*

Institutorum moderatores et Capitula sua in sodales gaudent propria potestate ad normam iuris particularis et communis; in institutis autem clericalibus pollent insuper iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno quam pro foro externo.

*Can. Secundus*

Moderatores omnes suam potestatem exerceant ad normam iuris communis et cuiusque instituti proprii.

*Can. Tertius*

Potestas qua singuli moderatores praediti sunt ad decernendum et praecipiendum quae agenda sunt non eis conceditur ut in subditos dominentur sed ut eis in Domino serviant ac ministrent, iuxta Christi exemplum et mandatum: «Qui maior est vestrū fiat minister vester» (*Mt 20, 26*). Moderatores igitur, voluntati Dei in munere explendo dociles, ita suam auctoritatem exerceant ut caritatem qua Deus dilexit illos exprimant. Subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, illorum voluntariam subiectionem promoventes. Sodales eo perducant ut in munib⁹ obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia cooperentur, libenter eos audiant necnon eorum conspirationem in bonum instituti et Ecclesiae promoveant (cfr. *Decr. Perfectae caritatis*, n.14).

*Can. Quartus*

Ut sodales ad munus moderatorum exercendum nominentur aut elegantur, requiritur congruum tempus a iure particulari determinandum post cooptationem perpetuam vel definitivam in instituto transactum.

*Can. Quintus*

§ 1. Supremus instituti moderator ad tempus definitum eligatur, nisi aliter ferat ius particulare.

§ 2. Alii moderatores ad certum temporis spatium constituantur, iuxta exigentias instituti definitum, quo exacto confirmari possunt, dummodo in eo munere ultra novennium non permaneant.

§ 3. Ad bonum totius instituti, ad suavitatem regiminis et ad spiritualem ipsorum sodalium profectum, ius particulare aptis normis provi-

deat ne moderatores, de quibus in § 2, diutius in regiminis officiis versentur. Quare ipsi, peracta gubernationis periodo ab eodem iure particulari definienda, moderatoris officium nonnisi post aliquos annos denuo assumere valent.

*Can. Sextus*

§ 1. Supremus instituti moderator electione canonica designetur ad normam iuris particularis.

§ 2. Alii moderatores maiores ad normam eiusdem iuris particularis designentur; ita tamen ut si eligantur, confirmatione supremi moderatoris semper indigeant; si vero nominentur, apta et ampla consultatio praecedat.

§ 3. Moderatores minores ad normam eiusdem iuris particularis constituantur.

*Can. Septimus*

Sodales, nihil praeter Deum et bonum instituti p[re]oculis habentes, in omnibus electionibus normas iuris communis et particularis adamussim servent et eligere satagant quos in Domino vere dignos et magis idoneos pro officiis agnoscant, abstinentes a quovis abusu et potissimum a suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.

*Can. Octavus*

§ 1. Quo melius institutorum communio cum Sede Apostolica foveatur, statutis ab eadem temporibus, supremus moderator brevem conspectum status et vitae instituti eidem Apostolicae Sedi mittat.

§ 2. Cuiuslibet instituti moderatores promoveant notitiam et exsecutionem decretorum S. Sedis quae sodales sibi concreditos respiciunt.

*Can. Nonus*

§ 1. Moderatores institutorum a iure particulari ad hoc munus designati obligatione adstringuntur domos et sodales sibi commissos visitandi iuxta normas eiusdem iuris particularis.

§ 2. Sodales cum visitatore fiducialiter agant, cui legitime interroganti respondere tenentur secundum veritatem in caritate; nemini vero fas est quoquo modo sodales ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire.

*Can. Decimus*

§ 1. Moderatores totis viribus curent ut sodales sibi commissi Deum ante omnia querant ac diligent, fraternalm inter se communionem colant, mundi salutem et Ecclesiae aedificationem promoveant iuxta propriam in Christo vocationem quem, caritate impulsi, per proxim consiliorum evan gelicorum pressius sequuntur.

§ 2. Sodales frequenti verbi Dei pabulo nutrient, ad sacrae Liturgiae celebrationem adducant, in exercitio virtutum stimulent, in observandis le gibus et sanis traditionibus proprii instituti verbo et exemplo instruant, eorum necessitatibus personalibus convenienter subveniant, infirmos sedulo carent ac visitent, corripiant inquietos, consolentur pusillanimes, patientes sint ad omnes.

*Can. Decimus Primus*

Moderatores institutorum suos habeant consiliarios ad normam iuris particularis designatos, quorum consensum aut consilium ad normam iuris exquirant.

*Can. Decimus Secundus*

§ 1. Capitula et consilia munus sibi commissum fideliter expleant ad normam iuris communis et particularis atque suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius instituti vel communitatis participationem et curam exprimant.

§ 2. In his participationis et consultationis formis instituendis servetur iusta discretio, ita ut, attentis uniuscuiusque instituti indole et fine, apto efficacique regimini ab omnibus consulatur.

*Can. Decimus Tertius*

§ 1. Moderatores sodalibus omnibus, salva instituti disciplina, debitam relinquant libertatem circa Paenitentiae sacramentum et conscientiae moderamen.

§ 2. Subditorum confessiones moderatores habitualiter ne audiant nisi motu proprio ac sponte sua sodales id petant; numquam vero ullus sodalis ad peccata sua confitenda determinato sacerdoti invitatus cogi potest.

§ 3. Expedit autem ut sodales fiducialiter moderatores adeant; eis vero animum suum libere aperire possunt.

§ 4. Moderatores solliciti sint ad normam iuris particularis ut sodalibus idonei confessarii praesto sint apud quos regulariter confiteri possint.

Tempus utile datur ut omnes Consultores hoc schema examinare possint, et deinde fit discussio de singulis his canonibus.

*Cann. 1-3*

Quoad canonem primum nulla emendatio facta est a Subcommissione, ideoque textus manet uti erat approbatus a Consultorum Coetu in sessione mensis martii.

Rev.mus primus Consultor postulat ut fiat inversio verborum, qua textus ita sonet: «... ad normam iuris communis et particularis». Formula haec eadem ita esset ac in canone secundo.

Respondet tamen Rev.mus Relator dictum esse «ad normam iuris particularis et communis» ut maior tribuatur praestantia iuri particulari.

Responsio haec placet, et approbatur ut in hoc eodem sensu emendetur textus canonis secundi, qui ergo est sequens:

«Moderatores omnes suam potestatem exerceant ad normam eiusdem iuris particularis et communis».

Rev.mus secundus Consultor quaerit rationem ob quam ordo canonum mutatus sit, quia nunc est canon tertius qui in sessione Coetus approbatus fuit uti canon secundus.

Transpositio necessaria indicata fuit — ait Rev.mus Relator — propter ordinem logicum canonum. In memorato canone secundo, qui characterem hortatorium habet, agitur de modo exercendi potestatem receptam, iuxta spiritum evangelicum et indicationes Concilii. Unde necessarium erat prius statuere principium huius exercitii, quod factum est in brevissimo canone qui nunc est canon secundus, dum canon hortatorius fit canon tertius.

His attentis, Rev.mus tertius Consultor proponit, ad solvendam difficultatem, ut canones primus et secundus in unum confluantur. Ita habetur canon primus, cum duabus quidem paragraphis, qui res stricte iuridicas statuat, et deinde canon secundus (canon tertius in schemate a Subcommissione propositus), qui naturam habet potius pastoralem.

Fit suffragatio de hac propositione tertii Consultoris quae ab omnibus approbatur.

Exc.mus quartus Consultor quaerit an expediat aliquid dicere his in primis canonibus circa originem potestatis. Hodie enim quidam tenent sententiam iuxta quam potestas residet in communitate, quae potestas traditur personae ab ipsa communitate designatae. Haec autem doctrina de

origine potestatis excludit, praeter alia, indolem supernaturalem oboedientiae religiosae.

Fit parva discussio de hac quaestione.

Omnes fere Consultores sunt concordes in eo quod vitari debet periculum ab Exc.mo quarto Consultore memoratum. Quaestiones tamen de origine deque formis potestatis in Ecclesia ab alio Coetu Consultorum pertractantur, etsi quaedam ex his quaestionibus non in canonibus Codicis solvi debeant: relinquendae enim sunt doctrinae.

In fine disceptationis unanimiter approbatur, proponente Exc.mo quarto Consultore, ut in canone tertio (qui nunc est canon secundus) ita emendetur textus lin. 2ae: «... quae agenda sunt eis *a Deo* conceditur non ut...». Haec enim emendatio nihil praeiudicat quoad res in disceptationibus doctrinalibus agitatas.

Aliae emendationes quae in hoc canone proponuntur sunt sequentes:

— In lin. 7 dicatur: «qua Deus diligit», loco «qua Deus dilexit» (Rev.mus tertius Consultor). Animadversio recipitur quia textus canonis sumitur e n. 14 Decr. «Perfectae caritatis», ideoque textus Concilii servari oportet uti iacet. Propter hanc ipsam rationem non recipitur a Consultoriis inversio verborum a Rev.mo quinto Consultore proposita in lin. 13: «in bonum Ecclesiae et instituti», loco «in bonum instituti et Ecclesiae». Bonum instituti — ait praeterea tertius Consultor — est etiam bonum Ecclesiae.

— Totus textus canonis perstringatur et fiat potius iuridicus quam hortatorius (Exc.mi sextus et septimus Consultores).

Respondet tamen Rev.mus Relator, cui alii accedunt Consultores, canonem habere indolem simul pastoralem et iuridicam, quia imprimis statuitur principium iuxta quod Moderatores habent potestatem dirigendi sodales in viam perfectionis sequendam; postea qualitates exponuntur quibus actio moderatorum exornari debet.

Suffragationi denique subiicitur textus huius canonis, cum supradictis duabus emendationibus ab Exc.mo quarto et a Rev.mo tertio Consultoriis propositis.

Canon approbatur ab omnibus, exceptis Exc.mis sexto et septimo Consultoribus.

#### *Can. 4 (nunc can. 3)*

Hic canon — animadvertisit Rev.mus Relator — erat canon quintus in schemate mense martio approbato. In formula nunc a Subcommissione

proposita substantia est omnino eadem. Verbum «valide» sublatum est, quia non videbatur necessarium.

Nulla fit animadversio ideoque, facta suffragatione, canon ab omnibus approbatur.

*Can. 5 (nunc can. 4)*

Prima paragraphus huius canonis — ait Rev.mus Relator — appareat sicut fuit approbata in praecedenti Coetus sessione.\* Ceterae paragraphi redactae sunt a Subcommissione iuxta indicationes datas. Opportunum visum est non definire tempus ad quod moderatores, praeter supremum, iuxta proprias exigentias, in eorum iure particulari hoc determinant. Ne tamen moderatores per nimium tempus in eodem officio permaneant, statutum est ut tempus maximum sit novennium quod dividi potest a iure particulari modo pro quolibet instituto magis consono. In § 3 sapiens norma introducta est, addito etiam motivo, ne quidam sodales — sicut saepe accidit — fierent moderatores perpetui, cum sequelis nocivis quae cognoscuntur quia hi moderatores faciliter obliviscuntur conditionem subditorum.

Quoad § 1, animadvertisit Rev.mus octavus Consultor textum intellegi posse ac si electio canonica necessaria non sit, quia verba «nisi aliter ferat...» possunt referri vel ad «tempus definitum» vel ad «electionem».

His dictis alii accedunt Consultores et approbatur, proponente Rev.mo tertio Consultore, ut dicatur: «Supremus instituti moderator ad tempus definitum constituatur...».

Quoad § 2 Em.mus Card. Praeses Commissionis, qui in hac adunatione partem habet, proponit et accipitur ut loco verborum «iuxta exigentias» dicatur «iuxta naturam et necessitates».

Animadvertisit Exc.mus sextus Consultor formulam «dummodo in eo munere ultra novennium non permaneant» esse formulam nimis rigidam, quia clausula «dummodo» est invalidans. Proponit ergo ut dicatur: «... confirmari possunt, non vero ultra novennium».

Censem tamen Rev.mus primus Consultor «dummodo» esse necessarium, ut revera habeatur efficacia iuridica. Praeterea — ait Rev.mus secretarius — possilitas semper adest dispensationis.

Rebus sic stantibus, sequens suffragatur quaesitum: «Utrum clausula *dummodo* remanere debeat ad validitatem».

Maioritati Consultorum (nempe 9 ex 14 praesentibus et votantibus)

\* Cfr. *Communicationes*, XXV (1993) pp. 288-290.

clausula «dummodo» non placet, ideoque alia proponitur formula a Relatore, quae ita sonat: «... possunt; in eodem autem munere ultra noven-nium ne permaneant».

Facta suffragatione, haec formula omnibus placet, excepto Rev.mo no-no Consultore.

Exc.mus sextus Consultor a suffragatione se abstinet.

Quaerit denique Rev.mus tertius Consultor, quoad verba «ultra noven-nium», quodnam sit criterium computationis huius temporis.

Respondet tamen Rev.mus P. Bidagor quaestionem hanc solvendam es-se modo generali in canone vel in canonibus ubi agatur de temporis sup-putatione.

Quoad § 3, Rev.mus nonus Consultor postulat ut addatur clausula quae habebatur in praecedenti canonis redactione, nempe «sive in eodem loco sive alibi».

Animadvertisit tamen Rev.mus Relator hoc inclusum iam esse et am-plius sub verbis «in regiminis officiis», quibus praescriptum valet pro quo-cumque munere et in quocumque loco.

Proponit Rev.mus octavus Consultor ut tollantur verba «ad suavitatem regiminis et ad spiritualem ipsorum sodalium profectum». Haec non sunt — ait Rev.mus — verba iuridica.

Propositio tamen non accipitur, quia ceteri Consultores volunt ut ser-ventur haec verba.

Rev.mus tertius Consultor postulat denique ut, claritatis causa, ita emendetur textus: «... in regiminis officiis versentur; ita ut, peracta gubernationis periodo...». Facta suffragatione, propositio accipitur.

#### *Can. 6 (nunc can.5)*

Nulla fit animadversio, ideoque textus approbatur uti iacet.

#### *Can. 7 (nunc can. 6)*

Hic canon — ait Rev.mus Relator — erat octavus in schemate prae-cedentis sessionis. Sublata est expressio can. 506, § 1 CIC de iureiurando eligendi quos in Domino eligendos electores existimaverint ne locus detur anxietatibus conscientiae et scrupulis. Sufficit inculcare observantiam iuris particularis et communis in hac re, et abstinentiam ab abusibus in suffra-giorum procuratione.

Quaedam fiunt animadversiones quoad hanc prohibitionem procura-tionis suffragiorum, quia «procuratio» sensu iuridico intellecta — nempe suffragium ferre per procuratorem — est quidem legitima (Exc.mus quar-

tus et Rev.mus quintus Consultores); et quia legitimae quoque sunt fraternae collocutiones, discussiones, etc. inter electores, ut idoneitas candidatorum magis elucescat (Rev.mi secundus et decimus Consultores).

Respondent tamen Rev.mi Secretarius et Relator de his casibus non agi in canone, sed tantum de procuratione illegitima suffragiorum, praesertim pro seipsis. Si quis enim suffragia procurat pro seipso est ipso facto minus idoneus.

Addit his dictis Rev.mus tertius Consultor talem prohibitionem, etiam si agatur de suffragiorum procuratione pro aliis, esse retinendam, ne habeatur vera «propaganda electoralis», quod absonum esset in vita perfectionis.

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione, cuius in fine sequentes propositiones a Consultoribus factae suffragationi subiiciuntur:

- 1) Dicatur in initio canonis «Sodales *omnes...*» (Placet omnibus).
- 2) Tollantur verba «nihil praeter Deum et bonum instituti prae oculis habentes» (Placet = 3; Non placet: = 11).
- 3) Dicatur tantum «idoneos», loco «magis idoneos» (Placet = 1; Non placet = 13).
- 4) Expungantur verba «a quovis abusu et potissimum a suffragiorum procuratione» (Placet = 2; Non placet = 12).

Canon ergo approbatur uti propositus est, cum hac tantum emendatione in initio textus ponenda: «Sodales *omnes*, nihil ...».

#### *Can. 8 (nunc can. 7)*

Sicut propositum fuit in praecedenti sessione — animadvertisit Rev.mus Relator — § 1 canonis 12 primi schematis ratione materiae adiuncta est praescriptio canonis 10 eiusdem schematis. Ex his duobus praescriptis venit canon 8, qui nunc ponitur. Ordo inter paragraphos mutatus non fuit, sed obligatio mittendi relationem status et vitae instituti extensa est ad omnia instituta perfectionis, sicut de cetero pro pluribus institutis iuris dioecesani iam est in usu. Relatio praeterea non erit ampliusmittenda statis temporibus sicut praescribitur in Codice vigenti, sed quando ipsa S. Sedes id praescribit.

Rev.mus secundus Consultor postulat ut quid etiam dicatur, pro institutis iuris dioecesani, de convenientia mittendi relationem ad Episcopum.

Respondet Rev.mus Relator praescriptum hoc non inveniri in iure actuali, et forsitan merito, quia Episcopus, si vult, semper potest petere memo-

ratam relationem de statu instituti. Ratio qua statuta est obligatio mittendi relationem ad Sanctam Sedem est quia Sancta Sede visitationem periodicam horum institutorum directe non habet. Huic responsioni Rev.mus secundus Consultor accedit.

Nulla alia fit animadversio. Quapropter, facta suffragatione, textus ab omnibus approbatur.

Antequam sequens canon examinetur, Rev.mus Relator quaedam animadvertisit relate ad canonem nonum prioris schematis de regimine institutorum. Hic canon, cuius obiectum erat residentia moderatorum in domo, debebat ita recognosci ut praesentia moderatorum tali modo habeatur «ut spiritualem adsistentiam subditis praebere valeant». \* Attamen subcommissioni visum est hunc canonem esse pleonasticum, si admittatur can. 13, §§ 2-3 primi schematis,\*\* qui canon est can. 10 in novo scheme. Propterea Patres subcommissionis decreverunt hunc canonem esse abolendum.

*Can. 9 (nunc can. 8)*

Ad hunc canonem, qui probatus iam fuit in sessione praecedenti, nulla fit animadversio, ideoque manet uti iacet.

*Can. 10 (nunc can. 9)*

Paragraphi 2 et 3 canonis 13 praecedentis schematis noviter redactae sunt et ad simpliciorem formam reductae, iuxta optata Consultorum. Ita elaboratus est a subcommissione — ait Rev.mus Relator — novus textus qui uti can. 10 proponitur.

Ad mentem Exc.mi septimi et Rev.mi primi Consultorum, textus huius canonis perstringendus est atque stylo magis iuridico exarandus.

Rev.mus octavus Consultor animadvertisit omissum esse in canone minus praecipuum moderatorum quod est quidem, iuridice loquendo, «subditos regere».

His animadversionibus pree oculis habitis, Rev.mus tertius Consultor proponit, et propositio unanimiter accipitur, ut nova addatur § 1, quae ita sonat:

«Moderatores in sodales regendos ad normam proprii iuris particularis officiis suis assidue incumbant».

\* *Communicationes*, XXV (1993) p. 295.

\*\* Cfr. *ibidem*, p. 298.

Quoad § 2 (quae erat § 1), Rev.mus quintus Consultor animadvertisit, attentis rationibus theologicis, melius esse dicere «hominum salutem», loco «mundi salutem».

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, et Rev.mus undecimus Consultor proponit ut dicatur: «... *proximi dilectionem* in mundi salutem et Ecclesiae aedificationem promoveant...».

Propositio accipitur.

Approbatur quoque, claritatis causa, ut textus huius § 2 incipiat a verbis «Totis viribus...», utque, in lin. 4, dicatur «vocationem in Christo», loco «in Christo vocationem».

Proponit denique Exc.mus septimus Consultor ut in lin. 5 dicatur «per professionem consiliorum...», loco «per praxim».

Respondet tamen Rev.mus Relator, et huic responsioni accedit Exc.mus septimus Consultor, verbum «praxim» iam includere «professionem»: professio enim consiliorum evangelicorum est primus actus, quem sequitur praxis.

Circa § 3 (quae erat § 2), proponit Rev.mus tertius Consultor, et accipitur, ut ita incipiat textus: «*Item nutriant sodales...*».

Expressio «corripiant inquietos» (lin. 6) quibusdam Consultoribus non placet. Ita Exc.mus sextus et Rev.mus octavus Consultores. Attamen hi Consultores accedunt ut maneant haec verba, quae desumpta sunt ex regula S. Augustini, ad designandos eos qui non sunt dociles, minime vero eos qui habent anxietates conscientiae.

Nulla alia emendatio fit ideoque, facta suffragatione, textus huius canonis approbatur cum additionibus et emendationibus supra relatis.

#### *Can. 11 (nunc can. 10)*

In praecedenti sessione — ait Rev.mus Relator — propositus est can. 14, cum quattuor paragraphis. Decisum tamen fuit a Coetu Consultorum ut tantum § 1 retineatur. Haec paragraphus, noviter redacta a subcommissione, nunc proponitur uti can. 11.

Exc.mus quartus Consultor obiectionem movet quoad verba «consiliarios ad normam iuris particularis designatos». Experimenta nunc fiunt — ait Exc.mus — quae de facto tollunt consilium generale: consiliarii enim a Moderatore generali assumuntur ad casum, vel in singulis locis. Si proposita formula recipiatur, ianua aperietur approbationi horum experimentorum.

Huic animadversioni alii accedunt, et quaedam proponuntur formulae ad difficultatem obviandam quae memorata est. Hae formulae sunt se-

quentes: «suos habeant consiliarios *stabiles...*» (undecimus Consultor); «suos habeant consiliarios *stabiles et proprios...*» (quartus Consultor); «suos habeant consiliarios *stabiles apud se...*» (duodecimus Consultor). Denique Rev.mus Relator hanc formulam proponit, quae ab omnibus recipitur:

«Moderatores *suum proprium et permanens habeant consilium iure particulari constitutum*».

Quoad verba sequentia («quorum consensum aut consilium ad normam iuris exquirant»), Rev.mus tertius Consultor animadvertisit hodie munus consilii esse magis amplum quam simplicem exquisitionem consilii vel consensus. Quapropter proponit ut dicatur: «cuius ope ad normam iuris uti tenentur».

Obiiciunt tamen Exc.mus sextus Consultor et Rev.mus Secretarius melius esse si relinquatur distinctio quae fit inter consensum et consilium, ad mentem canonis 105 hodierni Codicis, ut habeatur certitudo iuris.

Parva habetur discussio de hac quaestione, cuius in fine sequens quae-situm suffragationi submittitur:

«An ponenda sit in canone duplex idea quoad functiones huius consilii: 1) adiutorium generale; 2) in casibus praeterea a iure determinatis, consensus aut consilium».

Facta suffragatione, propositio omnibus placet, quapropter Rev.mus Relator hanc formulam quae nova suffragatione approbatur:

«... *cuius opera in munere exercendo utantur oportet: in casibus autem a iure praescriptis eius consensum aut consilium exquirere tenentur*».

Canon igitur approbatur cum supradictis emendationibus.

#### Can. 12 (nunc can. 11)

Decisum fuit a subcommissione — ait Rev.mus Relator — ut hic canon in schema insereretur, etiam si in schemate mense martio approbato hoc praescriptum non appareret. Visum enim est hoc opportunum monitum includere quoad modum repraesentandi communitatem et negotia gerendi in Capitulis et Consiliis ut vitentur abusus sive per defectum sive per excessum.

Circa § 1 canonis, obiicit Exc.mus septimus Consultor ponenda non esse in eadem linea Capitula et Consilia, quia Capitula sunt quidem personae morales seu iuridicae collegiales, et revera repraesentant instituta; Consilia vero non ita se habent.

Respondet Rev.mus Relator textum canonis desumptum esse ex Decr.

« Perfectae caritatis », n.14, et Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, II, n. 18. Difficultas quae posita est vitatur per ipsa verba § 1 « suo quaeque modo ».

Huic responsioni accedit Exc.mus septimus Consultor et, suffragatione facta, textus § 1 ab omnibus approbatur uti iacet.

Quoad § 2, animadvertisit Rev.mus Relator hic agi de relatione capitulo- rum et consiliorum cum toto instituto, ut habeatur quidem participatio et consultatio omnium sodalium, recto tamen modo.

Rev.mus secundus Consultor postulat ut nova addatur § 3, in qua reas- sumantur verba Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, II, n. 18: de participatione so- dalium in electionibus membrorum Capitulorum et Consiliorum, de exer- citio auctoritatis efficaciore et expeditiore modo, per usum quoque medio- rum communicationis socialis, deque facultatibus quibus muniantur Supe- riores cuiusque gradus, ne inutiles vel nimis frequentes recursus ad altiores auctoritates multiplicentur.

Respondet Rev.mus Relator omnia haec iam modo generali contineri in praescriptis § 1; determinationes postea particulares fieri debent a singu- lis Institutis in proprio iure particulari.

Huic responsioni accedunt Exc.mus quartus, Rev.mi tertius et undeci- mus aliique Consultores, qui praeterea animadvertunt iam actum esse de ampla sodalium repraesentatione in Capitulis deque eorum participatione in electionibus Moderatorum.\*

His dictis accedit quoque Rev.mus secundus Consultor, sed tantum quoad duo prima puncta suae propositionis. Quoad facultates autem Su- perioribus cuiusque gradus tribuendas, ne recursus ad altiores auctoritates inutiliter multiplicentur, vult Rev.mus secundus Consultor ut fiat novus canon vel nova paragraphus huius canonis. Alii tamen Consultores dicunt hoc non esse necessarium, quia talis applicatio principii subsidiarietatis iam in praxi habetur.

Denique Rev.mus octavus Consultor postulat ut in fine huius § 2 de- leantur verba « ab omnibus ». Propositio tamen a ceteris Consultoribus non admittitur, quia revera « iusta discretio » ab omnibus exigitur.

Nulla alia fit animadversio, ideoque textus canonis manet uti proposi- tus est.

### *Can. 13 (nunc can. 12)*

Circa quaestionem de confessariis — ait Rev.mus Relator — habe- batur in priore schemate dumtaxat primus canon (sub numero 15), quem

\* Cf. *Communicationes*, XXV (1993) pp. 290-293.

tamen duo alii sequi debebant. Decisum tamen fuit hac de re adhuc cogitandum esse, quod quidem fecit subcommissio. Ipsi denique visum est totam hanc materiam in unico canone pertractare, simul quidem agendo de obligatione moderatorum providendi confessarios idoneos pro suis subditis deque libertate sodalium in hac re et in aperitione animi. Confectus ergo est hic canon 13 qui sententiae totius Coetus submittitur.

Quoad § 1 Exc.mi sextus et septimus Consultores, quibus accedit Rev.mus nonus, censem verba «debitam relinquant libertatem» esse nimis vaga et parum praecisa, ideoque afferre possunt difficultates sive pro moderatoribus sive pro ipsa vitae consecratae disciplina. Praeterea per haec verba foveri potest ut confessio frequens non fiat, uti convenit, cum depretiatione gratiae sacramentalis et periculo incidendi in naturalismum.

Alii tamen Consultores, inter quos Rev.mi tertius et undecimus atque Relator, putant textum servandum esse uti iacet, quia verba desumpta sunt ex Decr. «Perfectae caritatis». Addit Rev.mus Secretarius de confessione instituenda saltem semel in hebdomade agendum melius esse ubi de obligationibus religiosorum pertractetur.

Rev.mus nonus Consultor, cui accedit Rev.mus octavus quaerit ut supradicuntur verba «salva instituti disciplina» quae fovere possunt abusus.

Respondet tamen Rev.mus Secretarius per haec verba significari disciplinam generalem instituti, quae in discrimen vocari non potest ob libertatem sodalium.

Exc.mus quartus Consultor, insistens in hac animadversione, proponit ut verba «salva instituti disciplina» ponantur in fine paragraphi. Ita enim formula suavior fit.

Postulat denique Rev.mus tertius Consultor ut loco «relinquant» dicatur «agnoscant», quippe quod verbum magis iuridicum sit. Obiiciunt tamen alii Consultores verbum «relinquant» inveniri in textu Decr. «Perfectae caritatis».

Ita expleta discussione de § 1, sequentes quaestiones suffragationi submittuntur:

- 1) An § 1 placeat in genere uti iacet: Placet omnibus.
- 2) An verba «salva instituti disciplina» servanda sint: Placet omnibus, uno tantum Consultore excepto.
- 3) An verba «salva instituti disciplina» ponenda sint in fine paragraphi: Placet omnibus, duobus tantum exceptis.
- 4) An servetur verbum «relinquant»: Placet omnibus, duobus exceptis.

5) An quaestio de frequentia confessionum tractanda sit ubi de subsidiis pro sodalium vita spirituali agitur: Placet omnibus.

Textus ergo huius paragraphi approbatur uti propositus est cum sola emendatione sub n. 3) recensita.

Quoad § 2, Exc.mis sexto et septimo Consultoribus non placent verba «habitualiter ne audiant nisi motu proprio ac sponte sua sodales id petant». Haec enim verba significant Moderatores esse posse confessarios *habituelles* eorum subditorum, quod minime placet, quia: 1) oriaretur confusio inter forum externum et forum internum; 2) ligarentur manus Superioris; 3) foverentur divisiones inter sodales.

Respondet Rev.mus Relator, cui accedit Rev.mus tertius Consultor, praxim qua Superior est confessarius suorum subditorum in se malam non esse. Immo, iuxta ius vigens (cfr. can. 530) Superiores esse possunt confessarii habituales subditorum. Mens canonis qui proponit est ut hoc habitualiter ne fiat propter pericula; possibilitas tamen debet manere.

Rev.mus nonus Consultor concordat cum animadversione Exc.morum sexti et septimi; quaerit praeterea ut loco «subditorum» dicatur «sodalium».

Respondet tamen Rev.mus Relator praescriptum valere tantum pro sodalibus qui simul sunt subditi, non pro aliis.

Rev.mus primus Consultor censem secundam partem huius paragraphi omittendam esse, dum Rev.mus decimus Consultor proponit ut ipsa secunda pars addatur ad verba § 4.

Denique Exc.mus septimus postulat additionem clausulae «sine gravi causa», ita ut textus § 1 sit sequens: «Moderatores subditorum confessiones sine gravi causa habitualiter ne audiant...». Huic animadversioni accedit Rev.mus tertius Consultor qui tamen proponit ut clausula sit: «sine iusta causa».

Ita expleta disceptatione de § 2, sequentes quaestiones suffragationi submittuntur:

1) An placeat ut deleatur verbum «habitualiter»: Placet omnibus Consultoribus, uno tantum excepto.

2) An placeat ut addatur clausula «sine iusta causa», in ipsa § 2: maioritati Consultorum praesentium (12 ex 14) non placet additio, quia non videtur necessaria.

3) An verba secundae partis huius § 2 transferenda sint in finem § 4, ita ut haec § 4 fiat § 3, cum sequenti vero textu: «Moderatores solliciti sint ad normam iuris particularis ut sodalibus idonei confessarii praesto

sint apud quos regulariter confiteri possint, quin tamen ullus sodalis ad confitendum determinato sacerdoti invitus teneatur».

Placet omnibus.

Ita ergo approbatur textus §§ 2 et 3, cum emendationibus quae receperae sunt.

Quoad § 4 (quae erat § 3 in canone proposito), Exc.mus septimus Consultor proponit ut textus paragraphi ita emendetur in initio: «*Optandum est ut sodales cum fiducia adeant moderatores, quibus etiam animum...».*

Propositio placet omnibus.

Rev.mus Relator postulat, et recipitur eius animadversio, ut loco «libere aperire», dicatur «libere ac sponte aperire».

Nulla alia fit animadversio, ideoque textus huius § 3 approbatur cum supradictis emendationibus.

Duae tandem quaestiones ponuntur antequam disceptationi de institutorum regimine finis imponatur, nempe:

1) An de manifestatione conscientiae seu directione spirituali faciens sit canon distinctus, quo transferatur § 4 supradicti can. 12 iam approbati.

Facta suffragatione, placet omnibus ut non fiat novus canon, quia sufficienter videtur quod dicitur in supradicta § 4 canonis 12.

2) An quaedam monitio facienda sit in canone 12 ne confessarii se immisceant in rebus regiminis institutorum.

Facta suffragatione, propositio non admittitur, quia etsi res opportuna quidem est, melius est ut pertractetur ubi de sacramento penitentiae seu de obligationibus confessariorum in genere agatur.

Ita ergo expletur disceptatio circa schema canonum «De institutorum regimine», quod manet approbatum uti prostat in Adnexo I huius Relationis.

## II. DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM

Consultores prae manibus habent relationem introductivam ad hanc novam quaestionem perpendendam. Haec relatio, his actis adnexa (cfr. Annexum II), apparata est a Rev.mo Relatore, qui eam legit breviterque illustrat, ad introducendam disceptationem circa schema canonum qui propoununtur.

Unica animadversio generalis quae fit, a Rev.mo octavo Consultore po-

sita, respicit pluralitatem verborum (ex. gr. « candidati », « recipiendi », « admittendi ») quae in canonibus adhibentur ad easdem res significandas.

His dictis alii accedunt Consultores, inter quos Rev.mus tertius, qui animadvertis periculum adesse in eo quod, propter desiderium amplectendi in hac parte generali omnes formas vitae per consilia evangelica consecratae, nimis discedatur a terminologia omnino clara quae habetur in Codice, immo et in ipsis documentis constitutivis Institutorum saecularium. Ex hoc quidem sequerentur multa incommoda, immo et imprecisiones characteris doctrinalis et theologici.

Etiam Rev.mi Secretarius et Relator censem caute procedendum esse in innovationibus terminologicis admittendis, praesertim in hac parte generali schematis.

Terminologia quae adhibetur — dicunt Exc.mi sextus, septimus, quartus atque Rev.mi nonus, decimus tertius et alii Consultores — clare exprimere debet elementa substantialia Institutorum perfectionis, iuxta ea quae approbata sunt in praecedenti Coetus sessione, quando sermo fuit de schemate generali apparando legislationis Institutorum perfectionis.

Cum hac sententia omnes sunt concordes.

Proponente autem Rev.mo Relatore, quaestio generalis de terminologia adhibenda ad aliam sessionem remittitur; nunc vero disceptatio fit de singulis canonibus schematis quod proponitur. Hoc schema differt ab illo prius in relatione introductiva posito. Differentiae quae habentur — ait Rev.mus Relator — introductae fuerunt post examen horum canonum a subcommissione factum. Canones ergo qui examini totius Coetus submituntur sunt sequentes:

#### Titulus V: « DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM »

##### *Can. primus*

In perfectionis institutum admitti potest quilibet catholicus, qui, vocatione divina praeditus a legitima auctoritate comprobata et congruenter praeparatus, qualitates habeat a iure communi et particulari requisitas.

##### *Articulus primus: « De praeparatione recipiendorum »*

##### *Can. secundus*

Ius admittendi candidatos in institutum pertinet ad Superiores maiores ad normam iuris particularis.

*Can. tertius*

§ 1. Superiores, quorum est candidatos in institutum admittere, memores propriae responsabilitatis erga institutum et Ecclesiam, vigilanti cura ne eo sinant accedere nisi illos, qui aptam indolem et sufficientes maturitatis qualitates praebeant, quae necessariae putantur, ut vitam perfectionis, instituti propriam, valeant inire.

§ 2. Aetas minima ad validitatem admissionis ad novitiatum requisita est decem et septem annorum. Praeter hanc tamen Superiores exigere te- nentur maturitatem de qua in §, 1, adhibitis etiam, si opus fuerit, peritis medicis ad illam comprobandam.

*Can. quartus*

Invalide in institutum perfectionis admittitur:

- 1) Qui ad fidem catholicam conversus, tres annos post conversio- nem in religione catholica nondum transegerit;
- 2) Coniux, durante matrimonio;
- 3) Apostata vel fugitivus ab instituto perfectionis;
- 4) Qui occultaverit: *a*) gravem morbum personalem vel familiarem haereditarium; *b*) suam admissionem in aliquo instituto perfectionis; *c*) se esse gravi aere alieno gravatum, qui solvendo par non sit; *d*) se esse obnoxium reddendae rationi iudici laico ob crimen commissum.

*Can. quintus*

Ius particulare potest alia impedimenta ad validitatem admissionis con- stituere vel conditiones apponere.

*Can. sextus*

§ 1. In quovis instituto omnes candidati, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis necnon re- cens documentum status liberi a competenti auctoritate ecclesiastica et ci- vili concessum.

§ 2. Ius particulare, pro diversitate adiuncrorum, exigere potest alia te- stimonia ex quibus constet de requisita idoneitate candidatorum et de eo- rum immunitate ab impedimentis iuris communis et eiusdem iuris parti- cularis.

§ 3. Superiores quibus competit informationes etiam secretas petere possunt, si eis ad hunc finem necessarium vel opportunum visum fuerit.

§ 4. Qui testimonia vel informationes legitime petitas dare recusaverit suaue recusationis rationem petenti exponere tenetur.

§ 5. Omnes ad quos informationes secretae quoquo modo pervenerint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa personas quae illas tradiderunt et notitias quae damnum candidatis vel aliis afferre possunt.

N.B.: Cum, ob difficultates obortas, necessarium fuit in his canonibus uti voce: «novitiatus», praedictus coetus restrictus opportunum duxit proponere Rev.mis Consultoribus sequentem clarificationem suo loco postea inserendam: «*Quoties in sequentibus canonibus sermo fit de novitiatu, illa periodus institutionis intelligitur quae immediate praecedit priorum vinculorum assumptionem in instituto perfectionis*».

Animadversiones quae ad hos canones fiunt sunt sequentes:

*Can. 1*

Exc.mus septimus Consultor animadvertisit verbum «qualitates» nimis, genericum esse: sub illo nempe omnia comprehendenderentur, etiam congruens praeparatio de qua prius sermo est.

Respondeat Rev.mus Relator sub verbo «qualitates» significari qualitates peculiares quae necessariae sunt ad illum nodum [sic] statum vitae in Ecclesia suscipiendum, quae qualitates comprobari debent ab ipsa auctoritate quae hunc statum vitae per consilia evangelica consecratae legibus ordinat ac tuerit.

Rev.mus octavus Consultor quaerit ut omittatur locutio «congruenter praeparatus», quia de hac praeparatione sermo fit postea, in canonibus articuli primi.

Rev.mus secundus Consultor mavult ut haec verba maneant. Saepe saepius — ait Rev.mus — sunt Superiores qui qualitates requisitas in candidato non sufficienter comprobant. Quandoque adsunt defectus indolis psychologicae et temperamentalis («difetti di carattere, di temperamento»), qui non sunt vel non possunt simpliciter considerari uti defectus maturitatis humanae.

Rev.mi decimus tertius et tertius Consultores animadvertisunt vocacionem divinam significare non tantum gratiam possidere sed etiam qualitates humanas habere, quae vocationi ad vitam consecratam sunt necessariae. Attamen etiam hi Consultores volunt ut praeter verba «vocatione divina

praeditus a legitima auctoritate comprobata» maneant quoque verba «congruenter praeparatus».

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione cuius in fine sequens quae-situm suffragationi submittitur:

«Placetne ut relinquatur textus canonis uti iacet, id est cum verbis quo-que ‘congruenter praeparatus’»:

Placet omnibus, ideoque approbatur hic canon 1 schematis propositi.

### *Can. 2*

Rev.mus octavus Consultor quaerit ut pro admissione candidatorum requiratur suffragium consilii seu capituli, ad mentem hodierni canonis 543.

Respondet tamen Rev.mus Relator, et alii accedunt Consultores, me-lius esse ut singula instituta normas particulares de hac re statuant, quod insinuatur in textu proposito.

Iudicium de admissione candidati — ait Rev.mus primus Consultor — relinquendum est Superioribus localibus, quia ipsi melius cognoscunt qualitates personae.

Obiiciunt tamen Rev.mi tertius Consultor et Relator Moderatores loca-les non habere representationem iuridicam instituti quae necessaria est ad actum ponendum admissionis. Haec est quaestio magni momenti quae re-servari debet ad Moderatores maiores. His dictis alii accedunt Consultores.

Nulla alia fit animadversio, excepta mutatione verborum «Superiores maiores» in «Moderatores maiores».

Textus ergo canonis ita suffragationi submittitur, et placet omnibus, unico excepto Rev.mo primo Consultore.

### *Can. 3*

Rev.mus tertius Consultor postulat ut in § 1 deleantur verba «quorum est candidatos in institutum admittere», quippe quae non sunt necessaria.

Proponit praeterea ipse Rev.mus Consultor ut verba «ne eo sinant ac-cedere nisi illos, qui...» modo magis positivo ita exarentur: «eos tantum admittant qui...».

Eae duae propositiones ab aliis Consultoribus recipiuntur.

Rev.mi Relator et undecimus Consultor proponunt ut loco «ut vitam perfectionis instituti propriam valeant inire» dicatur «ad vitam instituti propriam ineundam», ne intelligatur verbum «perfectionis» sensu mere spirituali ac limitativo. Iam enim intelligitur — ait Rev.mus Relator —

hic agi de institutis perfectionis, ubi nempe sodales consilia evangelica, modo ab Ecclesia ordinato, profitentur, sed praeter hoc elementum omnibus institutis commune, habentur etiam alia elementa particularia vitae singulorum institutorum propria, pro quibus etiam necessariae qualitates in candidato requiruntur.

Propositio admittitur.

Rev.mus octavus Consultor postulat ut deleatur in ipsa § 1 verbum «maturitatis», quia iam de hac maturitate postea sermo fit in § 2.

Quoad hanc tamen § 2, quidam Consultores putant eam colligendam esse cum § 1.

Exc.mus quartus Consultor, cui alii quoque accedunt, quaerit ut de aetate minima ad validitatem admissionis in novitiatu sermo fiat in canone sequenti.

Ad mentem Rev.mi secundi Consultoris mentio fieri oportet de peritis in re psychiatrica, qui examinent indolem psychologicam («temperamento») candidatorum.

Respondeat Rev.mus Relator hoc iam implicite dictum esse sub verbis «adhibitis etiam, si opus fuerit, peritis medicis». Praeterea de hac quaestione caute agitur in Instructione «Renovationis causa».

Quaerit Rev.mus secundus Consultor ut distinctio pree oculis habeatur quae revera exsistit inter maturitatem et indolem; sunt enim res diversae.

Huic assentit Rev.mus duodecimus Consultor memorans tamen indolem et maturitatem semper comprobari debere a Moderatoribus, non autem semper a peritis.

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione cuius in fine sequens tex-tus pro toto canone suffragationi submittitur et unanimiter approbatur.

«Moderatores, memores propriae responsabilitatis erga institutum et Ecclesiam, vigilanti cura eos tantum admittant qui, praeter aetatem requisitam, aptam indolem et sufficientes maturitatis qualitates preebeant necessarias ad vitam instituti propriam ineundam, quae indoles et maturitas comprobentur, adhibitis etiam, si opus fuerit, peritis».

#### *Can. 4*

Quoad numerum 1<sup>um</sup>, Exc.mus quartus Consultor dubitat an opportunum sit statuere triennium, melius forsitan esset si diceretur «donec de iudicio Superiorum sufficienter probatus fuerit» vel aliud simile.

His dictis alii accedunt, qui exoptant ut res ad ius particulare remittatur, attenta diversitate adiunctorum sive personarum sive locorum (Exc.mus septimus atque Rev.mi primus et octavus Consultores).

Respondet Rev.mus Relator, cui accedit Rev.mus nonus Consultor, statuere tempus in iure communi esse cautelam pro ipsis Superioribus. Experientia in territoriis praesertim missionis docet hanc determinationem prudenter esse.

Rev.mus decimus tertius Consultor quaerit, quoad redactionem textus, ne adhibeatur verbum «conversus».

Discussione expleta de hoc numero 2, suffragationi submittuntur sequentia quaesita:

— «An placeat aliquod impedimentum huius generis in ius commune introducere»: (Placet omnibus, duobus tantum Consultoribus exceptis).

— «An placeat statuere triennium, uti fit in formula proposita»: (Majoritati, nempe 7 ex 13 votantibus, non placet).

— «An placeat statuere triennium, cum clausula ‘nisi in iure particuli pro casibus specialibus brevius tempus statuatur’»: (Placet majoritati, nempe 8 ex 13 votantibus).

— «An placeat statuere biennium, cum ipsa clausula supradicta»: (Placet tantum duobus Consultoribus).

His pree oculis habitis, demandatur parvae subcommissioni ut formulam definitivam huius impedimenti in proxima Coetus sessione proponat.

Quoad numerum 2<sup>um</sup>, impedimentum scilicet aetatis, hic ponendum, Rev.mus Relator hanc proponit formulam, quae maioritati Consultorum placet:

«Qui decimum septimum aetatis annum nondum compleverit».

Quoad numerum 3<sup>um</sup> (antea 2<sup>um</sup>), nulla fit animadversio, ideoque manet sicuti est.

Quoad numerum 4<sup>um</sup> (antea 3<sup>um</sup>) Rev.mi tertius et undecimus Consultores animadvertisunt determinandam esse figuram iuridicam horum delictorum, nempe «apostasia» et «fuga» Quapropter proponunt, et omnibus placet, ut ita emendetur textus: «Qui vinculo cum aliquo Instituto perfectionis actu obstringitur».

Quoad numerum 5<sup>um</sup> (antea 4<sup>um</sup>), hae proponuntur animadversiones:

— Ad litt. a) melius est ut de hac re nihil dicatur inter impedimenta, sed ubi de requisitis ad admissionem in novitiatum agitur (Exc.mus septimus, Rev.mus octavus et alii Consultores).

Animadversio omnibus placet, ideoque ita emendatur textus canonis 3: «... eos tantum admittant qui, praeter aetatem, *valetudinem*, aptam indolem (...) quae valetudo, indoles...».

— Ad litt. *b*) (quae erit litt. *a*): proponit Rev.mus Relator ut ita nunc compleatur textus: «Qui occultaverit se discessisse ab aliquo instituto perfectionis vel ab eo dimissus fuerit».

Rev.mus tertius Consultor aliam proponit formulationem huius impedimenti, nempe: «Qui occultaverit se candidatum fuisse in aliquo instituto perfectionis».

Animadvertisit tamen Rev.mus octavus Consultor aliam et aliam esse conditionem eius qui tantum fuit novitus et eius qui fuit, ex. gr., professus votorum solemnium. Item si voluntarie egressus est vel e contra fuit dimissus ab instituto perfectionis.

Cum his dictis alii quoque concordant Consultores, quare approbatur ut, manente quidem impedimento, subcommissio aptam formulam in proxima Coetus sessione proponat.

— Ad litt. *c*) (nunc litt. *b*): dubitatur an opportunum sit adhuc servare hoc impedimentum etsi ex iure Decretalium proveniat (Exc.mus septimus Consultor); deleatur verbum «gravi», ne incidatur in difficile iudicium de gravitate, atque verba «qui solvendo par non sit», quia ratio praecipua impedimenti recidet in factum occultationis non in factum ut persona sit vel non sit pars ad solvendum (Rev.mus tertius Consultor).

De his animadversionibus fit parva discussio, cuius in fine sequentia quaesita suffragationi submittuntur:

— «An textus manere debeat uti iacet» (placet tantum 6 ex 13 votantibus).

— «An abolendum sit hoc impedimentum» (placet tantum 4 ex 13 votantibus).

— «An retinenda sint verba ‘se esse gravi aere alieno gravatum’» (placet tantum 4 ex 13 votantibus).

— «An expungendum sit verbum ‘gravi’» (placet tantum 2 ex 13 votantibus).

Nulla ergo propositio habuit maioritatem necessariam. Quoad substantiam impedimentum quidem manere debet, sub alia tamen formula cuius redactio subcommissioni committitur.

Ad litt. *d*) (nunc litt. *c*): dicatur «iudici civili» loco «iudici laico» (Rev.mus Relator). Includatur quoque vindicatio iuris ab auctoritate publica via administrativa facta (Rev.mi tertius et undecimus Consultores).

Etiam hoc impedimentum quoad substantiam admittitur. Formulatio tamen definitiva subcommissioni committitur.

*Can. 5*

Nulla fit animadversio, ideoque textus approbatur ab omnibus uti propositus est.

*Can. 6*

Quoad § 1, Rev.mus tertius Consultor proponit, et accipitur, ut delean tur in initio verba « In quovis instituto omnes... » quia non sunt necessaria.

Exc.mus quartus et Rev.mus nonus Consultores animadvertisunt statum liberum non semper et ubique probari a documento publico. Quapropter proponitur, et probatur ab omnibus, ut textus ita sonet: « ... necnon attestationem status liberi ».

Quoad § 2, nulla fit animadversio, ideoque unanimiter recipitur uti proposita est.

Quoad § 3, Exc.mus quartus Consultor et ipse Rev.mus Relator propo nunt ut ita emendetur textus in initio: « Moderatores informationes... ».

Propositio recipitur ab omnibus.

Non placet Exc.mo sexto Consultori locutio « informationes etiam se cretas », quia videtur minus opportuna.

Alii tamen Consultores, inter quos Rev.mus tertius, censem hic potius agi de principio generali, nempe utrum admittantur necne in Ecclesia informationes secretæ quibusdam in casibus. Si admittatur ut ita sit, prin cipium hoc valere etiam debet pro iure institutorum perfectionis. (Cum his dictis maioritas Consultorum concordat, et probatur ut textus maneat uti iacet).

Placet tamen maioritati Consultorum ut delean tur §§ 4 et 5, ad men tem Exc.mi sexti, et etiam quia ea quae de secreto servando dicuntur in § 5, iam exiguntur ex ipso iure naturali.

Ita expletur disceptatio circa schema canonum « De admissione in in stitutum », quod manet approbatum uti prostat in Adnexo III huius Rela tionis.

Cum ita expleta etiam sint quae pertractanda erant in hac Coetus ses sione, preces de more dicuntur atque sessioni finis imponitur.

Romae, die 4 octobris 1969.

I. HERRANZ

*Actuarius*

**Adnexum I****DE INSTITUTORUM REGIMINE***Can. 1*

§ 1. Institutorum moderatores et Capitula sua in sodales gaudent propria potestate ad normam iuris particularis et communis; in institutis autem clericalibus pollent insuper iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno quam pro foro externo.

§ 2. Moderatores omnes suam potestatem exerceant ad normam eiusdem iuris particularis et communis.

*Can. 2*

Potestas qua singuli moderatores praediti sunt ad decernendum et praecipendum Quae agenda sunt eis a Deo conceditur non ut in subditos dominantur sed ut eis in Domino serviant ac ministrent, iuxta Christi exemplum et mandatum: «Qui maior est vestrum fiat minister vester» (*Mt 20, 26*). Moderatores igitur, voluntati Dei in munere explendo dociles, ita suam auctoritatem exerceant ut caritatem qua Deus diligit illos exprimant. Subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, illorum voluntariam subiectionem promoventes. Sodales eo perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili obedientia cooperentur, libenter eos audiant necnon eorum conspirationem in bonum instituti et Ecclesiae promoveant (cfr. *Decr. Perfectae caritatis*, n. 14).

*Can. 3*

Ut sodales ad munus moderatorum exercendum nominentur aut elegantur, requiritur congruum tempus a iure particulari determinandum post cooptationem perpetuam vel definitivam in instituto transactum.

*Can. 4*

§ 1. Supremus instituti moderator ad tempus definitum constituatur, nisi aliter ferat ius particolare.

§ 2. Alii moderatores ad certum temporis spatium constituantur, iuxta naturam et necessitates instituti definitum, quo exacto confirmari possunt; in eodem autem munere ultra novennium ne permaneant.

§ 3. Ad bonum totius instituti, ad suavitatem regiminis et ad spiritualem ipsorum sodalium profectum, ius particulare aptis normis providat ne moderatores, de quibus in § 2, diutius in regiminis officiis versentur; ita ut, peracta gubernationis periodo ab eodem iure particulari definita, moderatoris officium nonnisi post aliquos annos denuo assumere valeant.

*Can. 5*

§ 1. Supremus instituti moderator electione canonica designetur ad normam iuris particularis.

§ 2. Alii moderatores maiores ad normam eiusdem iuris particularis designentur; ita tamen ut si elegantur, confirmatione supremi moderatoris semper indigeant; si vero nominentur, apta et ampla consultatio praecedat.

§ 3. Moderatores minores ad normam eiusdem iuris particularis constituantur.

*Can. 6*

Sodales omnes, nihil praeter Deum et bonum instituti prae oculis habentes, in omnibus electionibus normas iuris communis et particularis adamussim servent et eligere satagant quos in Domino vere dignos et magis idoneos pro officiis agnoscant, abstinentes a quovis abusu et potissimum a suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.

*Can. 7*

§ 1. Quo melius institutorum communio cum Sede Apostolica foveatur, statutis ab eadem temporibus, supremus moderator brevem conspectum status et vitae instituti eidem Apostolicae Sedi mittat.

§ 2. Cuiuslibet instituti moderatores promoveant notitiam et executionem decretorum Sanctae Sedis quae sodales sibi concreditos respi- ciunt.

*Can. 8*

§ 1. Moderatores institutorum a iure particulari ad hoc munus designati obligatione adstringuntur domos et sodales sibi commissos visitandi iuxta normas eiusdem iuris particularis.

§ 2. Sodales cum visitatore fiducialiter agant, cui legitime interroganti respondere tenentur secundum veritatem in caritate; nemini vero fas est quoquo modo sodales ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire.

*Can. 9*

§ 1. Moderatores in sodales regendos ad normam proprii iuris particularis officiis suis assidue incumbant.

§ 2. Totis viribus current ut sodales sibi commissi Deum ante omnia quaerant ac diligent, fraternalm inter se communionem colant, proximi dilectionem in mundi salutem et Ecclesiae aedificationem promoteant iuxta propriam vocationem in Christo quem, caritate impulsi, per praxim consiliorum evangelicorum pressius sequuntur.

§ 3. Item nutriant sodales frequenti verbi Dei pabulo, ad sacrae Liturgiae celebrationem adducant, in exercitio virtutum stimulent, in observandis legibus et sanis traditionibus proprii instituti verbo et exemplo instruant, eorum necessitatibus personalibus convenienter subveniant, infirmos sedulo current ac visitent, corripiant inquietos, consolentur pusillanimos, patientes sint ad omnes.

*Can. 10*

Moderatores suum proprium et permanens habeant consilium iure particulari constitutum, cuius opera in munere exercendo utantur oportet; in casibus autem a iure praescriptis eius consensum aut consilium exquirere tenentur.

*Can. 11*

§ 1. Capitula et consilia munus sibi commissum fideliter expleant ad normam iuris communis et particularis atque suo quaque modo sodalium omnium pro bono totius instituti vel communitatis participationem et curam exprimant.

§ 2. In his participationis et consultationis formis instituendis servetur iusta discretio, ita ut, attentis uniuscuiusque instituti indole et fine, apto efficacique regimini ab omnibus consulatur.

*Can. 12*

§ 1. Moderatores sodalibus omnibus debitam relinquant libertatem circa Paenitentiae sacramentum et conscientiae moderamen, salva tamen instituti disciplina.

§ 2. Subditorum confessiones moderatores ne audiant nisi motu proprio ac sponte sua sodales id petant.

§ 3. Moderatores solliciti sint ad normam iuris particularis ut sodalibus idonei confessarii praesto sint apud quos regulariter confiteri possint, quin tamen ullus sodalis ad confitendum determinato sacerdoti invitus tenetur.

§ 4. Optandum est ut sodales cum fiducia adeant moderatores, quibus etiam animum suum libere ac sponte aperire possunt.

## Adnexum II

## RELATIO QUINTA

Titulus V: «DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM»

## A) PRAEMISSAE

1. In hac sessione nostri Coetus Studiorum, quaestio est aggredienda: «De admissione in Institutum», iuxta ordinem propositum in schemate generali, a Rev.mis Consultoribus approbato. Sub hoc titulo plura veniunt consideranda quia nomine admissionis in Institutum hic non merus actus quo candidatus inscribitur inter sodales Instituti indicatur, sed totam periodus praeparationis, initiationis, ut aiunt, et cooptationis includitur. Periodus haec ordinarie plures annos complectitur, non tantum ob diversitatem institutorum quae in hac parte diversa praescripta statuunt in eorum iure particulari, sed etiam ob novas normas novissime editas a S. Congregatione de Religiosis et Institutis Saecularibus per Instructionem: *Renovationis causam*, quaeque ius commune in hac re substituerunt. Generatim haec periodus venit sub nomine «institutionis» seu «formationis» sodalium institutorum et constituitur variis stadiis in quibus traditur tironibus progressiva institutio, iuxta indolem et fines peculiares cuiusque instituti, et simul examinantur divina vocatio et idoneitas eorum ad vitam in instituto ducendam et ad opera apostolatus instituti perficienda. In perpluribus institutis periodus institutionis incipit iam antequam candidati habeant ullam iuridicam relationem cum instituto, sive in scholis sic dictis apostolicis sive per operam vocationum sive aliter. Ceterum, memorata Instructio: *Renovationis causam* valde commendat huiusmodi praeparationem ante initium novitiatus pro omnibus familiis religiosis (cfr. n. 4).

Quapropter, in schemate generali titulus iste divisus est in quatuor articulos, in quorum primo agitur: «De praeparatione recipiendorum»; in secundo vero: «De receptorum institutione»; in tertio autem: «De solidalium cooptatione in Institutum» et in ultimo: «De ulteriore sodalium formatione».

2. In Codice vigenti praescripta quae admissionem et institutionem sodalium respiciunt inveniuntur in Titulis XI et XII Libri II et complectuntur 53 canones, nempe a can. 538 ad can. 591. Omnes Rev.mi Consultores nostri Coetus absque difficultate admittent hanc legislationem

sat profundam immutationem seu recognitionem requirere, plura ob motiva.

3. *a)* Imprimis, in schemate proposito et approbato — saltem in prima parte de qua nunc agitur — non fit sermo de religiosis, sicut in Codice Iuris Canonici habetur, sed de institutis perfectionis. Propterea necessarium erit in recognitione canonum huius partis — sicut iam factum est in recognitione tituli: «De Institutorum regimine» — ut praescripta novam terminologiam praeferant et ampliorem habeant visionem, ita ut normas aptas praebeant pro omnibus institutis perfectionis, cuiuscumque generis sint. Obiectum nempe legislationis mutatum est et ideo etiam legislatio mutari debet.

4. *b)* Canones Codicis vigentis, qui normas circa ingressum in institutum et sodalium institutionem statuunt, videntur nimis ad particularia descendere et consequenter institutorum iustum et necessarium libertatem nimis coarctant. Sub hac legislatione minima relinquitur possibilitas institutis valde dissimilibus, quae indolem, fines et exigentias admodum diversas habent, tradendi propriis candidatis et sodalibus aptam institutionem et fovendi suum peculiarem spiritum et proprias sanas traditiones conservandi. Re quidem vera, ius particulare institutorum religiosorum et potissimum Congregationum mulierum, praesertim in hac parte, luculenter exhibit hunc defectum. In plurimis Constitutionibus, pars quae agit de ingressu candidatorum, de sodalium cooptatione et institutione fere ad verbum refert ius commune cum paucis additionibus. Ita factum est ut non paucae familiae religiosae suam peculiarem personalitatem, ut aiunt, fere perdiderint et ab aliis absque difficultate distingui non possint nisi titulo et forsan habitu. Meo submisso iudicio, haec infelix rerum conditio, ex parte saltem, legislationi vigenti est adscribenda. Non abs re Patres Concilii Vaticanii II in Decreto *Perfectae Caritatis* emphasis posuerunt in continuo reditu «ad omnis vitae christianaæ fontes primigeniamque institutorum inspirationem et aptationem ipsorum ad mutatas temporum condiciones» ad accommodatam renovationem vitae religiosae consequendam (cfr. n. 2) et declaraverunt: «In ipsum Ecclesiae bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem et munus habeant» (*ibid.*) et propterea praescripserunt: «Ideo fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriae proposta, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt» (*ibid.*). Immo, Summus Pontifex, in Motu Proprio: «Ecclesiae Sanctae», difficultatem persentiens renovationis institutorum si normae iuris vigentis servarentur, non tantum regulas sapientes dedit ad revisionem iuris particularis, sed libenter concessit Capitulis spe-

cialibus institutorum ut normas ederent et experimenta facerent quae canonibus iuris communis adversantur. Hoc nobis indicat urgentiam recognoscendi ius commune in hac parte tali modo, ut in posterum maior relinquatur libertas redeundi ad primigeniam inspirationem iisdem institutis et sese accommodandi ad mutatas temporum condiciones atque ad exigentias apostolatus, ratione habita propriae indolis et finis (cfr. Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 8).

5. c) In superiore numero verba Concilii rettuli quibus Patres institutis religiosis enixe commendaverunt accommodatam renovationem vitae religiosae et iuris particularis, attentis mutatis temporum condicionibus. Si autem ob tale motivum necessaria appetet renovatio iuris particularis institutorum, non minus urgens dici debet recognitio iuris communis in hac materia. Codex Iuris Canonici promulgatus fuit anno 1917 et praecedentem disciplinam plerumque retinuit. Conditiones autem sociales hodiernae valde differunt ab illis quae tempore promulgationis Codicis Iuris Canonici obtinebat. Mirus progressus factus est in campo educationis et formationis iuventutis et in cultura populorum fere ubique, potissimum ope novorum mediorum communicationis. Evolutio haec non parum influxum exercet in methodum institutionis et formationis candidatorum ad vitam perfectionis, tam in institutis religiosis quam in aliis, sicut experientia docet. Unde planum est plures normas iuris vigentis inconvenientias sat graves praeseferre et recognitionem requirere ut ius commune etiam in hac parte mutatis conditionibus temporum aptari possit.

6. d) Tam Concilium Vaticanum II quam subsequentia documenta S. Sedis cunctis institutis perfectionis iniunxerunt recognitionem eorum iuris particularis, ut iam dictum est, et normas dederunt ad illam recognitionem delineandam. Sed istae normae non parum differunt a praescriptis Codicis vigentis. Unde necessarium videtur Codicis canones recognoscere, prae oculis habitis normis a Concilio et ab Apostolica Sede iam traditis et attentis etiam experimentis iam factis post finem Concilii.

7. e) Quamplurima instituta perfectionis, ob difficultates quas perserunt, iam ante celebrationem Concilii postulaverunt dispensationes a numerosis praescriptis canonum Codicis vigentis quae in Titulis XI et XII inveniuntur. Immo non pauci Moderatores supremi familiarum religiosarum enixe optaverunt recognitionem huius partis iuris communis antequam novus Codex ederetur. S. Sedes eorum optata iusta et convenientia aestimavit, sicut appetet ex promulgatione Instructionis: «Renovationis causam», quae legislationem Codicis non parum immutavit.

8. Quaenam tamen debent esse normae directivae a Coetu nostro sequendae in recognitione iuris Codicis in hac parte et in formulatione canonum huius tituli? Abs dubio principia generalia a Patribus Concilii tradita pro accommodata renovatione institutorum perfectionis et pro recognitione eorum iuris particularis pro nostro labore constituere possunt normas directivas optimas. Nam, officium iuris communis seu legislatio- nis Ecclesiae generalis quoad instituta perfectionis est eorum vitam et disciplinam altius moderari et dirigere eaque adiuvare ad veram propriam indolem dignoscendam et proprium finem attingendum, etiam per evolutionem apti et idonei iuris particularis. Ob motiva tamen supra exposita, ius commune Codicis potius consecutionem horum propositorum vi detur impedire. Prae oculis habendae sunt etiam normae a S. Sede traditae pro recognitione iuris particularis institutorum perfectionis, cum haec sint interpretationes magis concretae et applicationes principiorum Concilii.

Cum conditones vitae socialis his nostris temporibus tam celeriter mutentur et legitime praevideri debeat hanc rerum conditionem non faciliter immutatam iri, ad hoc ut ius commune recognitum nocumentum iisdem institutis non afferat, oportet ut sit admodum generale et magnam habeat flexibilitatem. Si enim ad particularia descenderet et consequenter rigiditatem exhiberet, absque magna difficultate et incommodo omnibus institutis perfectionis, inter se valde dissimilibus, aptari non posset et potius obsta cula crearet eorum naturali evolutioni et incremento. Ceterum, ius commune taliter elaboratum hodie vix ullam utilitatem haberet. Recognitio enim iuris communis fere necessario lento pede procedere debet, ut experientia patet, et consequenter tale ius, tempore promulgationis, iam superatum appareret a mutatis interim conditionibus vitae.

Paucis verbis dicendum est normas directivas in recognitione canonum Titulorum XI et XII Libri II Codicis Iuris Canonici dissimiles esse non debere ab iis quae a Coetu nostro in tertia sessione approbatae fuerunt pro universo labore nobis commisso et signanter a normis secunda et tertia.

9. Canones Titulorum XI et XII Libri II Codicis Iuris Canonici attente perlegens — qui uti patet primam materiam constituunt circa quam recognitio versari debet — sequentes observationes veluti generaliores facere cupio antequam ad schema novorum canonum formulandum transeam: 1) Terminologia iuridica huiusc partis mutanda est, sicut factum est pro titulo de regimine, ut possit aptari omnibus et singulis institutis perfectionis; 2) Cum plura praescripta huius partis respiciant instituta religio-

sa praecisive sumpta, generatim expungenda sunt ex hac parte schematis et remittenda iuri particulari religiosorum vel, si casus ferat, secundae parti schematis, ubi agitur de iis quae sunt propria nonnullis institutis perfectio- nis. Ita, ut unum saltem exemplum referam, praescripta quae dotem respi- ciunt, 3) Alia ex parte, in Codice vigenti quaedam videntur deficere quae convenienter, saltem per praescriptum omnino generale, in codice recognito apparere possunt. Ita, necessitas vocationis divinae ad admissionem in instituta perfectionis; necessitas vel saltem utilitas praeparationis candida- torum antequam in institutum admittantur; obligatio praebendi tironibus specificam institutionem iuxta indolem et exigentias cuiusque instituti; ne- cessitas instructionis organicae in disciplinis sacris non tantum religiosis qui ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiendum praeparantur, sed, congrua congruis referendo, omnibus sodalibus institutorum perfectionis; 4) Canones Codicis vigilis qui in novo schemate remanebunt sunt ita reformandi, ut cum novis exigentias congruant et ita ordinandi inter se et cum novis canonibus ut novo schemati aptentur; 5) Non pauci canones qui in his duobus titulis Codicis vigilis inveniuntur vel obsoleti videntur et ideo ex toto derelinquendi, vel ad particularia descendunt et ideo remit- tendi ad ius particulare institutorum quorum interest.

Uno verbo, legislatio recognita debet esse revera communis et genera- lis, maxime flexibilis, omnibus institutis perfectionis accommodata et ho- diernis exigentiis necnon futuris, quantum praevisione est possibilis, Eccle- siae et eorumdem institutorum perfectionis respondens. Qua pars est rever- rentia examinanda et prae oculis tenenda sunt documenta S. Sedis, quae ad rem faciunt, et potissimum ea quae post finem Concilii Oecumenici Vati- cani II prodierunt quaeque fere omnia vigere pergent usquedum novus Codex Iuris Canonici vigorem habere incipiet.

## B) SCHEMA CANONUM

**Titulus Quintus: « DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM »**

### CANON PRIMUS

10. *In perfectionis institutum admitti potest quilibet catholicus, qui, vo- catione divina praeditus a competenti actoritate ecclesiastica legitime compro- bata, qualitates habeat a iure communi et particulari requisitas.*

*Notae:*

a) Canon statuit normam omnino generalem quoad admissionem candidatorum in instituta perfectionis et quoad substantiam refert praescriptum can. 538 Codicis vi-

gentis cum quibusdam mutationibus.

b) Etsi non ageretur de requisito stricte iuridico, volui explicite requirere in hoc canone «vocationem divinam», quae abs dubio exigitur in quolibet candidato qui vult viam consiliorum evangelicorum amplectere in instituto perfectionis. Hoc etiam feci ad melius indicandam indolem charismatice viae consiliorum evangelicorum quae, ut dicitur in Constitutione Dogmatica: *Lumen Gentium* (cfr. n. 43), sunt donum divinum. Addidi tamen: «a competenti auctoritate ecclesiastica legitime comprobata», ad affirmandam potestatem Ecclesiae leges ferendi quoad moderamen et proxim consiliorum evangelicorum, ut aperite declaratur in eodem documento conciliari: «Ipsa autem auctoritas Ecclesiae, duce Spiritu Sancto, ea interpretari, eorum proxim moderari et etiam stabiles inde vivendi formas constituere curavit» (*ibid.*). Requisita vocatione divina in candidato ab auctoritate ecclesiastica competenti legitime comprobata, supervacaneum reputavi addere verba can. 538: «rectaque intentione moveatur». Haec enim evidenter haberi debet in candidato qui praeditus est vocatione divina.

c) Verba: «qualitates habeat a iure communi et particulari requisitas» in canone posita sunt ut vitaretur formulatio potius negativa canonis 538, quae hodie minus placet. Phrasis tamen in canone usitata eundem habet sensum verborum canonis 538: «qui nullo detineatur impedimento ... et ad religionis onera ferenda sit idoneus». Immo, verba in novo canone adhibita magis videntur concordare cum eo quod in praxi evenit. Nam, ad comprobandam idoneitatem candidati ad onera instituti ferenda generatim non sufficit theoreticum examen candidati, sed requiritur experimentum quod fit post admissionem.

**Articulus Primus: «*De praeparatione recipiendorum*»****CANON SECUNDUS**

11. § 1. *Antequam in institutum admittatur ad recipiendam institutio-*  
*nem cooptationi praeviam, candidatus congruam praeparationem peragat, at-*  
*tentis natura, fine et peculiaribus exigentiis eiusdem instituti.*

§ 2. *Forma, tempus et locus huiusmodi praeparationis a iure particula-*  
*ri cuiusque instituti statuenda sunt. Pertinet autem ad Capitulum generale*  
*formam et tempus praeparationis determinare vel mutare.*

*Notae:*

a) Agitur in hoc canone de praeparatione quae praecedit primum stadium vitae perfectionis in quo candidatus, etsi in institutum adhuc non cooptatus, iam tamen admissus fuit et quasdam relationes etiam iuridicas cum instituto habet. Ut terminologia Codicis vigentis utamur, possumus affirmare in canone agi de praeparatione ad novitatum. In Instructione S. Congregationis de Religiosis et Institutis Saecularibus: *Renovationis causam*, affirmatur necessitas cuiusdam periodi praeparationis in hodiernis socialibus adjunctis antequam novitiatus incipiat (cfr. n. 4). Propositum huius periodi praeparationis — ut exponitur in eadem Instructione (cfr. *Ibid.* et in Normis peculiaribus, n. 11) — est: «ut non solum ut de aptitudine et vocatione candidati iudicium fiat, sed etiam ut comperiatur, quae sit eius doctrinarum religiosarum cognitio et, si opus sit, ea compleatur modo, qui necessarius visus fuerit; ac denique ut progressionem quadam a vita in saeculo ad vitam novitiatus propriam transeatur». Examen extenditur etiam ad dignoscendum num candidatus praeditus sit qualitatibus maturitatis humanae et ad animi affectus pertinentibus. In canone proposito extendi necessitatem praeparationis ad admissionem candidatorum in quodlibet institutum perfectionis. Ratio-nes namque adductae pro omnibus valent et non tantum pro institutis religiosis.

b) Uti clarum mihi apparet ex consideratione omnimodae varietatis institutorum, ex diversitate finium et exigentiarum et etiam ex diversitate adiunctorum in variis orbis partibus, praescriptum huius canonis generalissimum esse debet ut adaptari possit omnibus institutis. Hoc declaratur etiam in norma prima citati documenti, quae potissimum lata est pro institutis religiosis (cfr. n. 10, II: «*Probatio autem praevia, cuius tempus varium est...*»). Magis et amplius generale proinde debet esse praescriptum canonis propositi quod fertur pro omnibus institutis. Quapropter proposui dumtaxat ut haec praeparatio sit «congrua», attentis natura, fine et peculiaribus exigentiis instituti.

c) Evidenter responsabilitas melius definiendi illam congruam praeparationem imponi debet ipsis institutis in eorum iure particulari et propterea in § 2 obligationem imposui ut forma, tempus et locus huiusmodi preparationis statuantur in iure particulari. Hoc tamen non impedit quin instituta, praesertim religiosa, assumant tamquam regulam normas aliquantulo magis particulares quae in nn. 4 et 11 citatae Instructionis inveniuntur.

d) Ultima propositio canonis propositi: «*Pertinent autem... vel mutare*» posset etiam derelinqui, cum clarum sit ius particulare regulariter a Capitulo generali instituti constitui. Attamen, cum agatur de re magni momenti, mihi visum est utile memorata verba adiungere, saltem quod attinet ad formam et tempus periodi praeparationis. Locus enim minus habet momentum et propterea a Capitulo generali committi potest moderatori supremo vel consilio generali instituti.

e) Meo humili iudicio, si hic canon admittetur, non erit necessarium in iure communis loqui de «postulatu». Nam hic includitur in proposita congrua praeparatione. Praetera, vox «postulatus» unice reservatur quibusdam institutis religiosis ac proinde non erit conveniens ea uti in hac parte schematis generalis.

## CANON TERTIUS

12. *Invalide in institutum perfectionis admittitur:*

- 1) *Qui ad fidem catholicam conversus, tres annos post conversionem in religione catholica nondum transegerit;*
- 2) *Coniux, durante matrimonio;*
- 3) *Apostata vel fugitivus ab instituto perfectionis;*
- 4) *Qui occultaverit: a) suam admissionem (cooptationem) in aliquo instituto perfectionis, b) se esse gravi aere alieno gravatum, qui solvendo paris non sit, c) se esse obnoxium reddenda rationi iudici laico ob crimen commissum.*

*Notae:*

a) Omnibus compertum est canonem 542 Codicis vigilis nimias clausulas invalidantes vel impedientes posuisse pro ingressu in novitiatum et plurimas dispensationes a S. Sede in hac parte concessas fuisse. Proinde conatus sum canonem illum reducere ad minimum necessarium, seligendo quaedam tantum impedimenta quae validitati admissionis candidati in institutum obstent. Mihi visum est absonum ponere clausulas quae illicitam tantum reddunt admissionem in institutum, eo quod tales clausulae nullum momentum iuridicum vel practicum habere possunt, sed tantum morale et ideo potius considerationi theologiae moralis reliquendae sunt. Criteria selectionis in canone proposito fuerunt ex una parte dubium quoad existentiam verae vocationis divinae in candidato et ex alia damnum quod instituto provenire posset ex admissione candidati.

b) Percurrendo impedimenta a can. 542 statuta, sequentes observationes prae oculis Rev. morum Consultorum ponere vellem: 1) Quod spectat ad aetatem requisitam pro admissione in institutum, canon specialis de hac re postea erit proponendum quo aetas minima statuetur; 2) De vi, metu gravi aut inductione mediante dolo in candidato vel in superiore, aestimo nihil statuendum in iure communi, quia hodie causas huiusmodi sunt rariores et generatim ad quasdam regiones coarctati. Proinde melius provideri potest per ius particulare, ubi necessarium fuerit; 3) Statuere clausulam invaliditatis pro Episcopis et clericis, de quibus in can. 542, 1, videretur iniuriosum ac si isti conscientiam propriae responsabilitatis et obligationis non haberent. Ceterum, casus Episcopi qui petit admissionem in institutum perfectionis perrarus est; similiter prima calausula, quae illicitam redderet admissionem clericorum in sacris constitutorum, includit obbligationem iustitiae quam clerici optime cognoscere deberent et idem dicendum de parentibus qui debent alere et educare filios et de filiis qui parentibus opitulari debent in gravi necessitate constitutis; 4) Necessarium non videtur statuere impedimentum pro iis qui, ad sacerdotium in instituto destinati, removentur a sacerdotio irregularitate vel impedimento. Imprimis, videndum erit quot et quaenam

irregularitates in novo iure remanebunt et deinde utrum erunt dispensabiles. Si enim quis innodatus fuerit irregularitate indispensabili, esset inutilis admissio eius in institutum; 5) Impedimentum pro orientalibus ad ingressum in institutis ritus latini est hodie anacronisticum, quia non pauca instituta habent duplē sectionem, unam ritus latini et alteram ritus orientalis.

c) Rationes ad proponendos casus invaliditatis admissionis qui in canone apparent sunt sequentes: 1) Exaggeratum videtur excludere omnes qui sectae acatholicae adhaeserunt, sicut fit in Codice vigenti, etiamsi iam a longo tempore ad fidem conversi fuerint. Ex alia parte, requiritur quoddam tempus probationis antequam admittantur taliter conversi, ut cautio quaedam habeatur quoad sinceritatem eorum conversionis et etiam circa veritatem eorum vocationis. Non raro perdurante primo fervore post conversionem, neophiti erronee credunt se vocatos esse ad vitam perfectionis ducendam. Spatium trium annorum censetur tempus sufficiens ad vocationem probandam; 2) Expositione non indiget inhabilitas coniugis ad ingrediendum institutum perfectioonis perdurante vita compartis; 3) Praeter indignitatem apostatae vel fugitivi ab instituto, factum apostasiae vel fugae non solum constituit grave delictum et nocumentum instituto afferre potest, sed etiam grave dubium quoad eorum vocationem et idoneitatem ingerit; 4) Tres casus considerati in numero quarto, qui iam in can. 542 inventiuntur, reducti sunt ad circumstantiam occultationis facti tantum. Nam, si huiusmodi personae sincere confessae fuerint facta de quibus agitur et hoc nonobstante acceptati fuerint ab auctoritate competenti, non videtur motivum irritandi factam admissionem. Auctoritas competens in casu assumit responsabilitatem cum cognitione causae et tenetur respondere coram instituto de propria actione.

#### CANON QUARTUS

### *13. Capitulo generali cuiusvis instituti perfectionis fas est alia impedimenta constituere vel conditiones apponere ad validitatem admissionis candidatorum.*

#### *Notae:*

a) Diversitas maxima inter instituta perfectionis et varia adiuncta in quibus vitam agunt, suadent ut eis relinquatur possiblitas et libertas plus requirendi pro admissione candidatorum quam ius commune exigit. Hoc etiam factum est in Codice vigenti, ubi in can. 542 firma manent quae ius particulare praescriperat ultra et praeter ius commune. Cum agatur de re non parvi momenti, protestatem constituendi alia impedimenta vel conditiones pro admissione candidatorum reservavi Capitulo generali, quod institutum magis reprezentat et melius iudicare potest de peculiaribus exigentiis et adiunctis eiusdem instituti. Nullam tamen difficultatem haberem, si Rev.mi Consultores maluissent protestatem conferre eidem instituto per ius particulare. Ut iam dixi in superiore numero, non video utilitatem constitutionis impedimentorum ad liceitatem admissionis candidatorum.

## CANON QUINTUS

14. *Ius admittendi candidatos in institutum pertinet ad Superiores maiores ad normam iuris particularis.*

*Notae:*

Canon quoad substantiam concordat cum praescripto can. 543. Necessarium non duxi cumulare admissionem in institutum et illam ad cooptationem in institutum quia generatim ad primam requiritur votum decisivum Consilii dum ad secundam sufficit votum consultivum. Sed absque difficultate cumulari possunt quia utraque admissio debet fieri ad normam iuris particularis. Ob eamdem rationem non feci mentionem Consilii vel Capituli quia etiā quoad hoc differentiae habentur in diversis institutis. Ius commune minimum imponere debet et sufficiens appetet reservare admissionem candidatorum Superioribus maioribus. Pro ceteris requisitis provideat ius particolare, iuxta peculiares exigentias cuiusque instituti.

## CANON SEXTUS

15. § 1. *Superiores, quorum est candidatos in institutum admittere, mores propriae responsabilitatis erga institutum et Ecclesiam, vigilanti cura ne eo accedere sinant nisi illos, qui aptam indolem et suffientes maturitatis qualitates praebant, quae necessariae putantur, ut vitam perfectionis, instituti propriam, valeant inire.*

§ 2. *Ius particulare in definienda aetate requisita pro admissione candidatorum attendat necesse est ad illam maturitatem pscychologicam, affectivam et spiritualem qua candidati, sufficienti cum oneris cognitione et libertate, statuere valent se velle institutum ingredi. Nemo tamen valide admitti potest ante completum decimum septimum aetatis annum.*

*Notae:*

a) Paragraphus prima huius canonis sumpta est verbatim ex n. 14 Instructionis S. Congregationis de Religiosis et Institutis Saecularibus, ubi traduntur normae peculiares, mutata tamen terminologia, ut omnibus institutis perfectionis norma aptari possit. Addidi tantummodo phrasim: «memores propriae responsabilitatis erga institutum et Ecclesiam», quo melius in lucem poneretur momentum huius praescripti.

b) Formulatio normae Instructionis citatae appetet aliquantulum involuta. Noli tamen eam simplificare antequam audirem opinionem Rev.morum Consultorum.

c) Certe nemo dubitaret de opportunitate huius praescripti in iure recognito. Omnes norunt mala quae institutis perfectionis et Ecclesiae obvenerunt et obveniunt

ex defectu clari criterii in selectione admittendorum et ex admissione illorum qui necessariam maturitatem adepti adhuc non fuerunt. Exinde necessitas sentitur sufficientis temporis praeparationis ad adiuvandos candidatos ut perveniant ad necessariam maturitatem qua cum sufficienti cognitione et libertate suam decisionem ferre possint.

*d)* Maturitas tamen sufficiens, tam psychologica et affectiva, quam spiritualis, ordinariae non potest adipisci nisi modo progressivo et postquam candidatus ad aetatem correspondentem pervenerit. Hoc est motivum adiungendi paragraphum secundam in qua monitum datur iis quibus competit in variis institutis statuendi aetatem requisitam pro admissione candidatorum ut attendant ad dictam necessariam maturitatem. Absque dubio adeptio eius non parum pendet etiam ab aliis elementis et adjunctis, nec eodem tempore acquiritur in omnibus regionibus, uti experientia patet. Verum est quoque non eamdem maturitatem necessariam esse in omnibus institutis, quae, ut pluries iam dixi, inter se admodum diversa sunt et diversas habent exigentias. Sed semper verum manet quod certa aetas requiritur ad maturitatem, de qua locutus sum, adipiscendam. Optime Instructio, iam pluries citata, expositionem necessariae praeparationis et maturitatis candidatorum sequentibus terminat verbis: « Ceterum, etsi agnoscit oportet hasce questiones pro regionibus esse diversas, affirmetur tamen necesse esse aetatem, admissioni ad novitiatum congruentem, diutius, quam antea contigit, esse prolatandam » (Instr. *Renovationis causam* n. 4).

*e)* Praecedentibus rationibus motus et attentis quae in variis institutis tam religiosis quam alias generis hodie proponuntur et statuuntur in Capitulis specialibus et in iure particulari recognito, opportunum duxi aetatem minimam pro ingressu in institutum in Codice vigenti statutam, quae est 15 annorum, elevare ad 17 aetatis annum completum. Desiderium tamen Legislatoris, uti ex formulatione canonis propositi patet, minime esset ut instituta statuant pro admissione candidatorum aetatem 17 annorum, sed ut haec sit aetas minima, infra quam nullum institutum candidatos admittere valet. Mihi videtur aetatem propositam sufficientem cautionem praebere, eo vel magis quod per concessiones datas a citata Instructione nunc cooptatio in institutum tardius quam antea locum habet.

#### CANON SEPTIMUS

16. § 1. *In quovis instituto omnes candidati antequam admittantur. exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis necnon recentem attestationem status liberi a competenti auctoritate ecclesiastica et civili concessam.*

§ 2. *Ius particulare, pro diversitate adiunctorum determinet alia testimonia a candidatis (vel. ab aliis) exhibenda, non exceptis attestationibus peritorum, ex quibus constet de requisita eorum maturitate et idoneitate atque de immunitate ab impedimentis iuris communis et eiusdem iuris particularis.*

§ 3. *Superiores quibus competit alia testimonia et informationes, secretas quoque, exigere possunt, si eis ad hunc finem necessarium vel opportunum videatur. Qui autem testimonia vel informationes de quibus in hoc canone dare recusant, suae recusationis motiva requirenti exponere tenentur.*

§ 4. *Omnes ad quos praefata testimonia vel informationes quoquo modo pervenerint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias quae damnum candidatis vel aliis afferre possunt.*

*Notae:*

a) Canones 544 et 545 Codicis vigentis, qui praescripta statuunt circa informaciones requisitas pro admissione candidatorum in institutum, apparent nimis particulares et quadam simplificatione indigent. Quod facere conatus sum in canone proposito.

b) Mihi visum est hanc quaestionem melius relinquendam determinationi iuris particularis cuiusque instituti, exceptis iis quae semper et pro admissione cuiuslibet candidati requiruntur. Exigentiae diversorum institutorum et conditiones candidatorum sunt generatim admodum variae, ita ut inopportunum videatur fere totam quaestionem iure communi regulare. Quapropter, quod attinet ad testimonia iure communi requirenda, rem coarctavi ad testimonia baptismatis, confirmationis et status liberi, quae semper, ubique et ab omnibus candidatis pro admissione in institutum perfectionis exhiberi debent. Cetera reliqui determinationi iuris particularis pro necessitate vel opportunitate uniuscuiusque instituti.

c) Quoad attestationem tamen status liberi — ob motivum manifestum — requisivi ut sit recens ad errores vel dolos vitandos. Cum hodie fere ubique habeatur possibilitas contrahendi matrimonium civile absque necessitate, ex lege civili, ritus sacri matrimonii canonici, mihi opportunum visum est requirere etiam attestationem status liberi a magistratu civili, non eo quod matrimonium civile ex se constitutum impedimentum pro admissione in institutum perfectionis sed quia catholicus qui ita se gerit abs dubio indignus est et fere semper demonstrat defectum vocationis et rectae intentionis.

d) Ut supra dixi, alia testimonia et aliae informationes requisitae relinquuntur decernendae a iure particulari et a Superioribus competentibus secundum peculiares exigentias instituti vel conditiones candidati. Etiam in hoc campo instituta inter se admodum differunt. Aliae enim sunt exigentiae alicuius Congregationis religiosae quae unice educationi superiori iuventutis operam suam impedit et Instituti saecularis feminarum quod pro fine habet adiuvare parochos circa ecclesiam. Mentionem feci de attestationibus peritorum praesertim medicorum, quia hodie non raro requiritur adiutorium eorum ut superioribus constet de idoneitate candidati ad vitam perfectionis et in pluribus institutis hoc testimonium modo ordinario requiritur.

e) Clara mihi appetit obligatio eorum a quibus testimonia vel informationes circa candidatos legitime petuntur eas petenti tradendi vel saltem exponendi rationes

recusationis, saltem si personae a quibus petuntur sint catholici et magis adhuc si sint clerici vel religiosi. Agitur in casu de bono instituti quod est etiam bonum Ecclesiae. Abs dubio adesse possunt motiva legitimae recusationis, uti sunt secretum confessio-  
nis vel etiam secretum officii, sed tunc habetur obligatio exponendi causam recusa-  
tionis.

*f)* Necessarium forsitan non esset praescriptum § 4, cum hoc constitutat obligatio-  
nem iuris naturalis. Tamen, cum praescriptum in Codice vigenti inveniatur, forsitan  
melius est ut retineatur, ne quis putet obligationem sublatam esse vel non esse ita  
strictam sicut erat antea. Attamen opportunum duxi illam coarctare ad notitias quae  
damnum afferre possent. Pro aliis enim notitiis non appetet ratio servandi secretum.

*d)* Ut iam exposui in praemissis, nihil hic puto dicendum de dote propter ratio-  
nes allatas. Idem credo dicendum de exploratione voluntatis ab Ordinario loci pro ad-  
spirantibus feminis in religionibus. Valde dubito num examen sit retinendum et cete-  
rum agitur de re quae in hac parte schematis generalis tractari non debet.

### **Adnexus III**

#### **DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM**

##### *Can. 1*

In perfectionis institutum admitti potest quilibet catholicus, qui, vocatione divina praeditus a legitima auctoritate comprobata et congruenter praeparatus, qualitates habeat a iure communi et particulari requisitas.

Art. 1: *De praeparatione recipendorum*

##### *Can. 2*

Ius admittendi candidatos in institutum pertinet ad Moderatores maiores ad normam iuris particularis.

##### *Can. 3*

Moderatores, memores propriae responsabilitatis erga institutum et Ecclesiam, vigilanti cura eos tantum admittant qui, praeter aetatem requisitam, valetudinem, aptam indolem et sufficientes maturitatis qualitates praebant necessarias ad vitam instituti propriam ineundam, quae valetudo, indoles et maturitas comprobentur, adhibitis etiam, si opus fuerit, peritis.

##### *Can. 4*

Invalide in institutum perfectionis admittitur:

- 1) Qui ad fidem catholicam conversus, tres annos post conversionem in religione catholica nondum transegerit; (nova autem formulatio est invenienda)
- 2) Qui decimum septimum aetatis annum nondum compleverit;
- 3) Coniux, durante matrimonio;
- 4) Qui vinculo cum aliquo instituto perfectionis actu obstringitur;
- 5) Qui occultaverit: *a*) suam admissionem in aliquo instituto perfectionis (nova autem formulatio est invenienda); *b*) se esse gravi aere alieno gravatum, qui solvendo par non sit (nova autem formulatio est invenienda); *c*) se esse obnoxium reddendae rationi iudici laico ob crimen commissum (nova autem formulatio est invenienda).

*Can. 5*

Ius particulare potest alia impedimenta ad validitatem admissionis constitueret vel conditions apponere.

*Can. 6*

§ 1. Candidati, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis necnon attestatum status liberi .

§ 2. Ius particulare, pro diversitate adiunctorum, exigere potest alia testimonia ex quibus constet de requisita idoneitate candidatorum et de eorum immunitate ab impedimentis iuris communis et eiusdem iuris particularis.

§ 3. Moderatores informationes etiam secretas petere possunt, si eis ad hunc finem necessarium vel opportunum visum fuerit.